



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. I. Præmittitur quod apud omnes est certum,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

sentiam à libertate objectivè accepta, non à libertate executivè posita, & hoc consequentia sufficit, ad hoc ut libertas integra servetur: quod si sedulo meditaremur Adversarij, faciliùs intelligerent, & se nostrâ prædeterminatione difficultatibus obrui non quererentur; si, inquam, cõsiderarent, præscientiam & prædeterminationem esse causam libertatis, originantem libertatem, factricem, effectricem, & operatricem libertatis, non minus ac ipse actus sit effectus libertatis, originatus à libertate, ab illa factus, & veluti operatione productus.

Sed in hoc dicent Adversarij, difficultatem nostræ sententiæ consistere: quod possit dari aliquod antecedens, infallibiliter libertatem causans, ipsos non inficiari; quod verò si semel illud itaquam verum admittatur, sequetur evidenter quod prædeterminatione aut præscientia foueat potius quàm destruat libertatem, in ea suppositione se dicunt herere, nec eos illam capere, aut à nobis capi posse existimant.

Fam ergo cum ipsis aequale periculum iustinemus, quod sic declaro. Fuit aliquorum opinio quam communiter Metaphysici rejiciunt, non dari libertatem in actu secundo, sed omnem actum secundum habere necessitatem essendi libertati adversariam. Si ergo protervè contendant illius omnium calculo damnata opinionis Authores, omnem necessitatem strangulare libertatem; nonne statim ad implicantiã, non est in hoc quod necessitas ex ipsa libertate oriatur, tanquam ad sacrum azylum confugient? Quomodo ergo fieri potest, ut non intelligant, quàm rationabiliter nos cum argumentis illorum urgemur, quibus probant necessitatem nostram esse inimicam libertati, ad implicantiã ipsis quoque manifestam, quæ est in hoc quod præscientia causet libertatem, veluti ad inviolabile azylum recurramus?

Imò quod possit Deus infallibilitatem provenientem in voluntate suâ præscientiã, illesã libertate constituere, ex Adversariorum principiis aliã ratione confirmo. Docet Suarez, quem plerique Patres Societatis secuti sunt in Metaphysica disp. 19. sect. 3. posse dari præternaturalem motionem, quã, stante indifferentiã judicij, ita à Deo voluntas abripiatur, ut jam in alteram contradictionis partem, non liberè, sed omnino necessariò feratur quod repetit etiam in opusculis libro 1. de auxili. cap. 2. num. 12. quod ipse hac ratione ostendit. Cum in voluntate libera duplex sit potestas (ad volendum scilicet, & non volendum) neutra earum est infinita virtutis & efficacia: Ergo in utraque potest superari à Deo superiori agente, qui est infinita virtutis & efficacia: Ergo stante adhuc & perseverante indifferentiã judicij, potest à Deo ita moveri & agi voluntas nostra, quatenus habet potestatem volendi, ut sit prorùs impotens ad resistendum, nec possit ullo modo uti alterã potestate, quam habet ad nolendum: Ergo tunc in tali actu non erit usus libertatis, etiam si facultas in re sit libera, & objectum ita sit propositum, ut necessitatem non inferat. Hanc rationem bene tenete, & videte quale argumentum pro nostrâ Scholæ verissima doctrina sumatur.

Et sic discurrete. Secundum prædictam Suarez, viri doctissimi, opinionem, Deus potest à voluntate auferre libertatem, eam ad alteram partem contradictionis determinando; quia facultas quam habet voluntas ad utrumlibet, est finita, & consequenter à divine virtutis efficacia superabilis: at similiter facultas, quam habet voluntas ad operandum fallibiliter, est finita: Ergo potest ab efficacia divina virtutis superari. Sicut ergo

A per hanc fieri potest, ut voluntas in alteram partem naturali necessitate flectatur; ita per eandem fieri poterit, ut in eandem partem, salva libertate, infallibiliter inclinetur.

Quod si contendant hoc fieri non posse, ob essentialiã connexionem, quæ est inter modum fallibiliter operandi, & liberè operandi, ex qua connexionem oritur ut non possit Deus, illas à libertate, voluntatem inclinare ad infallibiliter operandum: dicatis statim, quod licet libera facultas agendi & non agendi, sit finita, tamen est necessariò, & essentialiter annexa indifferentiã judicij, ut nequeat Deus indifferentiam objectivam & judicij conservare, quin facultatem ad utrumlibet potentia libera conservet; siquidem facultas libera voluntatis ad agendum, nil aliud est, quàm ipsissima potentia voluntatis, ut connotans objectum indifferenter propositum: Igitur, vel dicendum est, quod casum suum contra nos Suarez, ejusque sectatores non probent; vel si probant, quod efficacius ex eodem principio nos colligamus, efficaciam præcedentem esse libertatis amicam, & conubernalem; quod jam satis à nobis manifestatum esse arbitramur. Hæc Pater Libelli, vir Caramuelis judicio acutissimus.

Alterum quod idem Author demonstrat, à quo nimirum S. Thomas hunc modum conciliandi libertatem cum Dei præscientia, & divinorum decretorum causalitate, acceperit, in Tractatu de prædeterminatione referemus.

Disp. 6.
art. 2.
§. 2.

ARTICVLVS IV.

An peccata ita subsint divinæ providentiæ, ut etiam subjiciantur ejus causalitati?

§. I.

Præmittitur quod apud omnes est certum.

E Xtra dubium est, peccata aliquo modo subijci divinæ providentiæ: Primò quidem, quia Deus ordinat peccata, ut si saltem secundum se nihil conferant universi perfectioni, conferant, saltè ordini suo. Sic paucæ præcisè sumptæ, nihil conferunt cantui, plurimùm tamen ad ejus harmoniam & suavitatem conducunt, si debito modo disponantur, & certis quibusdam intervallis fiant. Sic etiam umbræ conferunt picturæ, & maculæ pulchritudini faciei. Unde egregiè Augustinus libro imperfecto de Genesi ad litteram, cap. 5. Non dicimus (inquit) Deum fecisse tenebras, quoniam speciem ipsam Deus fecit, non privationes quæ ad nihilum pertinent: quas tamen ab eo ordinatas intelligimus, cum dicitur, Et divisit Deus inter lucem & tenebras Genes. 5. Ne vel ipsa privationes non haberent ordinem suum, Deo cuncta regente atque administrante: sicut in cantando interpositiones silentiorum certis & moderatis intervallis, quamvis vocum privationes sint, bene tamen ordinantur ab iis qui cantare sciunt, & suavitati universæ canitena aliquid conferunt. Et umbra in picturis eminentiora quæque distinguunt ac non specie, sed ordine placent. Nam & vitiorum nostrorum non est auctor Deus, sed tamen ordinator est, cum eo loco peccatores constituunt, & ea perpeti cogit quæ merentur. Ad hoc valet quod oves ponuntur ad dexteram, hœdi autem ad sinistram. Quædam ergo & facit Deus & ordinat, quædam verò tantum ordinat. Justos & facit & ordinat, peccatores autem, in quantum peccatores sunt, non

149.

facit, sed ordinat tantū. Ipso ergo faciente, pulchra sunt singula. & ipso ordinante, pulchra sunt omnia.

150. Certum est etiam, quod Deus peccatoribus utitur ut exequatur consilium voluntatis suæ: sic prodicione Judæ, & Judæorum scelere, ad implendum humanæ Redemptionis Mysterium usus est. Ut elevaretur Joseph ad solium & thronum Ægypti, non inutilis fuit Deo invidia fratrum ipsius, nec impudicitia uxoris Putiphar. Hinc est quod in Scriptura dicuntur aliquando peccata fieri ex imperio, consilio, & intentione Dei, quia scilicet hæc exequitur Deus per hominum peccata. Unde Augustinus in Enchiridione cap. 101. *Deus quasdam voluntates suas, utique bonas, implet per hominum voluntates malas, sicut per Judæos malevolos, bonâ voluntate Patris, Christus pro nobis occisus est.* Et cap. 100. *Hæc sunt (inquit) magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus, & tam exquisita, ut cum angelica & humana creatura peccasset, id est, non quod ille, sed quod ipsa voluit, fecisset, etiam per eandem creatura voluntatem, quâ factum est quod Creator noluit, impletet ipse quod voluit, bene utens & malis, tanquam summè bonus, ad eorum damnationem quos justè prædestinavit ad penâ, & ad eorum salutem quos benignè prædestinavit ad gratiam. Quantum enim ad ipsos attinet, quod ipse noluit fecerunt, quantum verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt, hoc quippe ipso quod contra voluntatem Dei fecerunt, de ipsis facta est voluntas ejus; propterea namque magna opera Domini, & exquisita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem quod etiam contra ejus sit voluntatem; quia non fieret, si non sineret, nec utique nolens finit, sed volens: nec sineret bonus fieri malè, nisi omnipotens etiam de malo posset facere bene.* Hæc ille non minus acutè quam sapienter. Inde ergo Deus bene, unde nos malè, quodque nobis non inutile modo, sed & malum ac noxium, illi utile est & bonum. Unde Boëtius 4. de Consolat. prosâ sextâ: *Sola est divina vis, cui mala quaque bona sunt, cum eis competenter utendo, alicujus boni elicit effectum.* Hæc ut dixi certa & indubitata sunt apud omnes, sed gravis difficultas est, an peccata ita subsint divinæ providentiæ, ut etiam aliquo modo subjiciantur ejus causalitati, pro cuius resolutione, quædam breviter hîc observanda sunt.

151. In primis enim notandū est, duo in peccato commissionis reperiri, materiale scilicet, & formale. Formale peccati est ipsa deformitas & malitia per quam constituitur formaliter in ratione peccati, & mali moralis: sive hæc consistat formaliter in privatione rectitudinis, sive in positivo, sive in utroque simul: de quo in Tractatu de peccatis.

Disp. 3. art. 1. Materiale verò, est actus à voluntate elicited, vel imperatus, qui est subjectum malitiæ, diciturque malus moraliter, sive ab objecto, sive à circumstantiis: de quo in eodem Tractatu.

152. Notandum tercio, materiale peccati, sive fundamentum malitiæ moralis, posse duobus modis considerari. Primò formaliter & reduplicativè, prout scilicet fundat ipsam malitiam & deformitatem. Secundò materialiter, seu specificativè, quatenus dicit illud quod aliàs est materiale & fundamentum malitiæ peccati, non tamen prout est hujusmodi. Sicut possumus considerare fundamentum relationis, & formaliter quatenus est fundamentum, & materialiter, quatenus est res quæ aliàs ejus fundamentum est. Unde

A sicut fundamentum relationis absolute & materialiter sumptum, pertinet ad suum speciale genus: puta substantiæ, qualitatis, vel actionis: quatenus verò fundamentum formaliter & reduplicativè, reducit ad lineam relativorum, tanquam initiativum ipsorum. Ita materiale peccati, absolute & materialiter sumptum, pertinet ad lineam entis & boni transcendentaliter. Formaliter verò & reduplicativè consideratum, pertinet reduktivè & initiativè ad lineam mali moralis, veluti initiativum ipsius.

Notandum quartò, duplicem dari in Deo motionem. Unam generalem, quæ ut provisorius universalis exhibet auxilium & concursum, qui absolute necessarius ut est homo per rationem determinet ead id quod est bonum verum vel apparens. Alteram verò specialem, per quam Deus specialiter movet ad aliquid determinatè volendum, quod est verum bonum; nempe consilio, inspiratione, præcepto; & tunc fungitur munere provisoris particularis, de nobis solliciti, nosque in agendo non solum ad bonum transcendens, sed etiam ad bonum honestum, & nostræ naturæ congruum, ordinantis: quod ut melius percipiatur,

Notandum quintò: inter hæc duo genera motionum, plura interesse discrimina. Prima enim, ut diximus, est generalis, & communis omnibus causis secundis. Secunda specialis, nec potest convenire nisi creaturæ rationali. Prima pertinet ad ordinem physicum, secunda spectat ad ordinem morale. Prima est præcisiva, & attingit solum in actu ad quem movet, entitatem, actualitatem, vitalitatem, bonitatem transcendentalem, aliasque rationes ad lineam entis pertinentes; & abstrahit à deformitate & malitia morali, quæ per accidens, & ex defectibilitate creaturæ rationalis, actui libero adjungitur. Secunda verò non est præcisiva, sed terminatur ad actum ut vestitum omnibus circumstantiis, & secundum omnes conditiones & modos quos recipit ab operante; unde si actus ad quem movet sit malus, & regulis morum difformis, talis motio, secundario saltem & indirectè, ad ipsam malitiam, & deformitatem se extendit.

§. II.

Lutheri & Calvinii errores referuntur.

L Vtherus & Calvinus, duo præcipua antiqui dtraconis capita, ad quorum vipereos sibilos totus orbis cohorrui: existimantes liberum arbitrium per peccatum originale in nobis esse extinctum, & divinum decretum humanæ voluntati necessitatem imponere, nihilque in mundo liberè & contingenter evenire: consequenter ad hunc errorem, dixerunt, non esse in potestate hominis vias suas bonas aut malas facere, sed hominem à Deo necessitari ad peccandum; illumque operari in nobis opera mala, sicut & bona; voluntate humanâ merè passivè se habente, vel solum spontaneè concurrente. Ita docet Lutherus in assertionibus, assert. 3. 6. quem sequutus est Calvinus lib. 3. instit. cap. 23. num. 3. ubi ait, *Deum esse authorem criminis se censies confiteri.* Et in eodem libro irridet distinctionem Catholicorum distinguendum inter permissionem peccati, & ejus effectum, & dicit, *Deum esse eorum omnium authorem, quæ isti Censores (sic Catholicos vocat) volunt otioso tantum permissu contingere.*

Docet etiam Calvinus, Deum tentare positivè homines ad peccandum, & ad eos tentandos uti operâ